



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. I. Præcipuum Scoti argumentum diluitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

Cum enim illa sit immutabilis & tota simul, & A  
 nullam (ut ait Bernardus) capiat ex eo quod est,  
 fuit, vel erit, mutationem (quia principia ad  
 illam concurrentia, scilicet lumen gloriæ, &  
 essentia divina per modum speciei unita, man-  
 nent omnino invariata) non mensuratur tem-  
 pore, aut ævo, sed æternitate participata, ut  
 in tractatu de visione beata ostendimus. Unde  
 Augustinus 13. confess. cap. 15. loquens de beatis,  
 Vident (inquit) faciem tuam semper, & ibi le-  
 gunt sine syllabis temporum; semper legunt, &  
 nunquam preterit quod legunt; non clauditur co-  
 dex eorum, nec plicabitur liber eorum, quia tu  
 ipse illis hoc es, & eris in æternum. Deinde, cum  
 intelligere sit gradus perfectissimus vitæ, & in-  
 tellectio operatio perfectè vitalis; Beatus vi-  
 dendo Deum, & ipsum per totam æternitatem  
 contemplando, vivet vitâ æternâ & intermina-  
 bili, juxta illud Christi Joan. 17. *Hæc est vitæ  
 æterna, ut cognoscant te Deum* &c. Unde Isaiæ  
 25. dicitur: *Faciet Dominus exercituum omnibus  
 populis in monte hoc convivium vindemia, pin-  
 guium medullarum, vindemia defecate*: quia  
 in monte gloriæ æternum faciet Deus electis  
 suis convivium, in quo omnium deliciarum flo-  
 rem, & omnium bonorum medullam illis mi-  
 nistrabit, juxta illud Tertulliani lib. 1. adversus  
 Marcionem cap. 3. *In unum necesse est summitas  
 magnitudinis eliquetur*. Postea addit Isaiæ,  
 quod *Deus præcipitabunt mortem in sempiternum*.  
 Ubi ad illam videtur alludere consuetudinem,  
 quâ olim facinorosi de monte præcipitari sole-  
 bant; per hoc nimirum significans, quod Deus  
 post diem judicij mortem de excelso monte glo-  
 riæ præcipitabit ad imum inferni, ubi sedes ejus  
 in æternum manebit. Cum enim mors à peccato  
 dimanet, sitque veluti ejus filia, debet cum pec-  
 cato in eodem simul habitare loco, nimirum in  
 inferno, qui idcirco vocatur *puteus interitus*:  
 ubi ipsi damnatis tanquam proprio pabulo in  
 æternum se nutriet, juxta illud Prophetæ: *Sicut*  
*oves in inferno positi sunt, mors depascet eos:*  
 nec eos tamen unquam consumet: nam, ut ait  
 Bernardus, *sic morientur ut semper vivant, sic  
 vivunt ut semper moriantur*.

Concludamus ergo hanc digressionem cum  
 Augustino. *Illâ cognitione, illâ visione, illâ con-  
 templatione satiabitur in bonis anima desiderium.*  
*Hoc enim ei solum sat est, ultra non habet quod  
 appetat, quod inhiat, quod requirat: Nam desi-  
 derio hujus satiatis ardebat qui Domino Christo  
 dicebat: ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*  
 Huc ergo contendite, & festinate ingredi in illam re-  
 quietem.

Boëtius  
 lib. 3. de  
 consol.  
 metro  
 11.

*Huc omnes pariter venite capti,  
 Quos fallax ligat improbis carenis,  
 Terrenas habitans libido mentes.  
 Hic erit vobis requies laborum:  
 Hic portus placidâ manens quiete,  
 Hoc unum miseris patens azylum.*



## ARTICVLVS III.

Convelluntur fundamenta adversæ  
sententiæ.

## S. I

Precipuum Scoti argumentum diluitur.

PRÆCIPVVM Scoti fundamentum sumitur ex perfectione amoris beatifici, & potest sic breviter proponi. Formalis beatitudo in perfectissima operatione intellectualis naturæ debet consistere: Sed amor beatificus perfectior est visione: Ergo in illo consistit formalis beatitudo. Major videtur certa, Minor autem, in qua videtur esse posita difficultas, probatur multipliciter. Primò ex Platone, qui præfert amorem cognitioni, & ait: *Nihil habeo majus in me, quàm quod amo; nihil melius, quàm quod amo*. Et potest confirmari ex D. Thoma 1. p. qu. 82. art. 3. ubi docet amorem rerum quæ sunt supra nos, excedere in perfectione cognitionem illarum; & e contra cognitionem rerum quæ sunt infra nos, superare illarum dilectionem; quia res superiores nobilior esse habent in se, quàm in intellectu; unde quando intellectus eas intelligit, illæ quodammodo descendunt, & vilescunt; res verò inferiores nobilior esse habent in intellectu, quàm in seipsis; unde per cognitionem intellectus nobilitantur. Ex quo ibidem infert, quod melior est amor Dei, quàm cognitio: e contra verò melior est cognitio rerum corporalium, quàm amor: Ergo amor beatificus perfectior est visione.

Secundò probatur eadem minor: Ordo Seraphinorum est superior ordini Cherubinorum, ut docet Dionysius cap. 7. de celesti Hierarchia: Sed nomen *Seraphim* sumitur ab ardore charitatis; *Seraph* enim Hebraicè, Latine accendere dicitur: nomen autem *Cherubim* à plenitudine scientiæ derivatur; *Cherub* enim scientiæ multiplicata sive plenitudo scientiæ interpretatur, ut diximus in tractatu de Angelis: Ergo amor præstat scientiæ, & ardor luci. Unde Bernardus ferm. 3. de verbis Isaiæ, alloquens Luciferum, bellissimè ait: *Bonum erat tibi, signifer magis esses, quàm Lucifer*.

Addit Ficinus, perfectissima omnia in rebus creatis esse amoris symbola: nam inter planetas Sol suo calore amoris solum est; inter elementa ignis; inter metalla aurum; & inter gemmas carbunculus, qui est veluti carbo accensus.

Tertiò, Finis præstantior est his quæ sunt ad finem: Sed visio Dei ordinatur ad amorem beatificum, & non è converso; nam ut ait Anselmus lib. 2. car. Deus homo, cap. 1. *Rectus ordo est, cognoscere ut diligamus; perversus autem, diligere ut cognoscamus*: Ergo amor beatificus perfectior est visione.

Quartò, Actus charitatis est perfectior fide: Ergo etiam est perfectior beatifica visione. Antecedens est certum, & patet ex verbis Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas*. Consequentia verò probatur: Nam species generis perfectioris, nequit in perfectione excedi à specie generis ignobilioris: Ergo si actus

134.

135.

136.

137.

137.

actus charitatis excedit actum fidei, qui est actus intellectus, genus actus charitatis perfectius est ratione generica actus intellectus, & consequenter ex eodem principio omnis actus charitatis (& à fortiori supremus actus ejus, qualis est amor beatificus) debet esse perfectior omni actu intellectus, etiam supremo, qualis est visio beatifica.

138. Quintò, Illud est perfectius, cujus oppositum est pejus; nam ut ait Aristoteles 8. Ethic. cap. 10. *Pessimum opponitur optimo*: Sed odium Dei, quod opponitur charitati, est multò majus malum, quàm carentia visionis; unde si daretur optio Beato, magis eligeret carere visione, quàm charitate: Ergo idem quod prius.

139. Sextò, Quod est posterius generatione, est perfectius; cum natura in generatione semper incipiat ab imperfectioribus: Sed amor, sive in via, sive in patria, est posterior generatione notitiâ intellectus; nam semper amor supponit notitiam, & actus voluntatis actum intellectus, circa idem objectum: Ergo amor est præstantior.

140. Denique probatur eadem Minor. Voluntas est perfectior intellectu: Ergo perfectissimus actus voluntatis (qualis est amor Dei in patria) perfectior est perfectissimo actu intellectus, qualis est visio Dei. Consequentia videtur legitima, Antecedens verò probatur: tum quia voluntas movet intellectum quoad exercitium in genere causæ efficientis: tum etiam quia agit liberè, ratione sui; intellectus autem expers est libertatis, nisi ex subordinatione ad voluntatem, & ratione sui agit per modum naturæ; agere autem liberè est modus perfectior agendi, quàm agere per modum naturæ. Addo quòd, bonum quod est objectum voluntatis, cum includat vel dicat ordinem ad existentiam, quæ est ultima rei actualitas & perfectio, est nobilius vero, quod est objectum intellectus; cum verum abstrahat ab existentia, ita ut de rosa in hieme detur vera cognitio & vera scientia, licet eo tempore rosa non existat.

141. Huic argumento, quod apud Scotistas palmarium est, dupliciter responderi potest. Primò distinguendo Majorem: Formalis beatitudo debet consistere in operatione perfectissima, entitativè, nego Majorem: perfectissima in linea ascensionis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: amor beatificus perfectior est visione, in ratione entis, transeat: in ratione consecutionis, nego Minorem & Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis: cum enim beatitudo formalis sit consecutio objecti beatifici, præcisè ex excessu entitativo unius operationis aut formæ supra aliam, non potest colligi, quòd illa sit beatitudo formalis, nisi etiam huic præstet in linea ascensionis: unde supra dicebamus, quòd etiam lumen gloriæ entitativè excederet visionem beatificam, non propterea in illo, sed in visione nostra beatitudo consisteret; quia scilicet visio est ascensio Dei, non verò lumen gloriæ. Cum ergo amor (ut supra ostendimus) non sit consecutio ultimi finis, sed illum supponat jam obtentum & possessum, per claritatem Dei visionem, quamvis daretur quòd amor ipsam in perfectione entitativa excederet, non idèò tamen in illo consisteret formalis beatitudo.

142. Respondeo secundò, data Majori, negando Minorem. Ad cujus primam probationem, ex autoritate Platonis & D. Thomæ desumptam, in primis dico, Aristotelem, qui Platoni præfe-

Tom. III.

rendus est, expressè docere oppositum, & præferre cognitionem amoris: ait enim 10. Ethic. cap. 7. *Mens est eorum omnium quæ nobis insunt præstantissima*. Secundò dico, effectum illud Platonis explicari posse de amore viæ, qui melior est & præstantior scientiâ & cognitione. Eodem modo intelligenda & interpretanda est doctrina à D. Thoma loco citato tradita: nam ibi loquitur de amore & cognitione viatorum, qui res superiores intelligunt per species quidditatum & rerum materialium, quæ superiores essentias non repræsentant prout sunt in seipsis, sed per analogiam & similitudinem ad res illas materiales & corporeas, à quibus desumuntur; & de cognitione ut sic terminata ad res superiores, verum est in perfectione excedi ab illarum amore, qui in illas fertur, prout sunt in seipsis: non autem de cognitione patriæ, maximè de beatifica visione; cum illa non fiat per speciem & similitudinem creaturarum, sed ipsâ divinâ essentiâ immediatè per seipsam gerente vices speciei & formæ intelligibilis.

Ex hoc patet responsio ad secundam probationem ejusdem Minoris: nomina enim *Seraphim* & *Cherubim* non fuerunt imposta ex amore & cognitione patriæ, sed viæ: unde Ezechielis 28. *Lucifer Cherubim appellatur: Tu Cherub extensus & protegens*. Et D. Thomas 1. p. qu. 109. art. 1. ait: *Dæmones fuerunt quidem aliquando in ordinibus Angelorum, sed ab eis ceciderunt*.

Ad tertiam probationem nego Minorem: nam cum visio sit essentia beatitudinis, & amor ejus proprietates; proprietates autem sint propter naturam ejus cujus sunt proprietates; consequens fit quòd amor beatificus ex natura rei visionem tanquam finem respiciat, & non e contra visio amorem. Nec advertebat Anselmus, cujus comparatio non est inter amorem & cognitionem patriæ, sed viæ, de qua verum est ordinari ad amorem, non ut ad finem ultimum, sed ut ad finem quo proximum; quia per amorem ad ultimum finem passibus meritò accedimus.

Dices: Amor est posterior visione: Ergo visio non est finis amoris. Consequentia probatur; nam finis est posterior illis quæ ordinantur ad ipsum, utpote effectus illorum in executione: Ergo si visio non est posterior amore, sed illum præcedens, nequit esse illius finis.

Respondeo concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicatur duplicem esse finem, unum obtinendum, alterum perficiendum: primus est posterior in executione illis quæ ordinantur ad ipsum, etsi in intentione præcedat; secundus verò præcedit in utroque ordine: sic essentia, quæ finis est proprietatum, non obtinendus, sed perficiendus, est prior illis: visio autem non est finis amoris patriæ, obtinendus per ipsum, sed solum perficiendus.

Ad quartam probationem Vazquez negat Antecedens, loquendo de excessu in genere physico: existimat enim ea quæ continentur sub perfectiori genere, non posse esse minus perfecta aliis contentis sub genere imperfectiori: nam hoc ipso (inquit) quòd aliquod genus perfectius est, tota latitudo illius, & consequenter omnis illius species, debet esse perfectior.

Sed hæc doctrina & solutio displicet nostris Thomistis, & meritò: ex illa enim sequitur, non solum actum fidei, sed quemlibet actum in-

H

tellectus, etiam naturalem, imò & erroneum, A actum perfectissimum charitatis, qualis est amor beatificus, in perfectione excedere; quod est absurdum. Sequela patet: nam ratio generica actus erronei, scilicet intellectio, excedit volitionem, quæ est ratio generica actus charitatis: Ergo si verum est principium quod Vazquez assumit, nimirum ea quæ continentur sub perfectiori genere, semper debere in perfectione excedere omnia alia quæ sub genere imperfectiori continentur; manifestè sequitur, quemlibet actum intellectus, etiam erroneum, aut hæreticum, perfectiorem esse perfectissimo actu B

148. Unde hac solutione prætermisâ, aliter ad quartam probationem respondeo: nempe concesso Antecedente, negando Consequentiam. Ad cuius probationem nego Antecedens: nam licet species perfectissima generis perfectioris, debeat esse perfectior specie perfectissimâ generis inferioris, non tamen necessarium est, quod species non perfectissima generis perfectioris, excedat perfectissimam generis inferioris.

Nec quicquam obest quod opponit Vazquez, nempe eo ipso quod genus sit perfectius, totam illius extensionem debere esse perfectiorem, & consequenter omnes illius species excedere debere in perfectione species contentas sub genere imperfectiori: hoc, inquam, non obest, tum quia eadem facilitate quâ ab ipso sine probatione dicitur, à nobis negatur: tum etiam, quia ad summum id est verum, si sermo fiat de speciebus generis perfectioris, reduplicatâ ratione generica (semper enim excessum supra alias retinent, sub reduplicatione rationis genericae illarum) non tamen si comparatio fiat absolute; quia ratione differentia contrahentis genus imperfectius, potest excessus ille genericus taliter refarciri, quod in absoluta comparatione perfectior sit species illius specie generis perfectioris: sic autem in charitate cum hinc comparata contingit, ut docent nostri Thomistæ in Tractatu de charitate.

149. Dices tamen: Quodlibet individuum perfectioris speciei, perfectius est, perfectione essentiali, quolibet individuo speciei inferioris: Ergo similiter species quælibet perfectioris generis, debet in perfectione excedere quamlibet speciem generis imperfectioris.

Sed contra: dato Antecedenti, nego Consequentiam. Et ratio discriminis est manifesta: individuatio enim non addit ad speciem perfectionem formalem, sed materialem tantum; species autem generi superaddit perfectionem formalem & essentialem; quare licet excessus specificus non possit refarciri, ratione differentia individualis contrahentis speciem, bene tamen excessus genericus, ratione differentia specificæ C

150. Ad quintam probationem respondetur, eodem argumento probari posse, actum cuiuscumque virtutis perfectiorem esse visione Dei: nam peccatum oppositum cuiilibet virtuti peius est, quàm privatio divinæ visionis; cum hanc potius quàm illud quilibet Beatus eligeret, si ei daretur optio. Asserendum est ergo cum Cajetano infra qu. 73. ar. 4. circa solutionem tertij, propositionem illam Aristotelis: *Pessimum opponitur optimo*, intelligendam esse in rebus habentibus contrarium: lumen autem gloriæ, & visionem beatificam, propter suam excellentiam & propinquitatem ad

Deum, contrariò carere. Vel cum Ferrariens. 3. con. gent. cap. 26. dicendum, regulam illam sic esse intelligendam: illud est melius, cuius oppositum est peius quàm oppositum alterius, secundum eandem rationem oppositionis acceptum: at non accipitur in argumento oppositum visionis secundum eandem rationem oppositionis; quia odium opponitur amori contrariè, visioni verò privatio ejus opponitur privativè. Si autem comparatio fiat inter opposita eodem modo, majus malum est privatio visionis Dei, quàm privatio amoris Dei: quia illa est privatio majoris perfectionis. Unde physicè loquendo magis detestanda est carentia visionis, quàm amoris carentia: licet amoris carentia in ordine morali considerata, & ut causata per actum peccaminosum & moraliter malum, peius sit ac detestabilior carentia visionis Dei. Quat: si Beato daretur optio, magis eligeret carere visione, quàm ob culpam à se commissam privari charitate.

Ad sextam probationem dicendum est, quod licet in antecedentibus essentiam & constitutionem rei, priora generatione sint imperfectiora, ut patet in dispositionibus, quæ quantò priorés sunt, & magis remotæ à forma, tantò minùs sunt perfectæ: tamen essentia semel consecutâ, seu formâ introductâ, priora generatione sunt perfectiora, quia proximius accedunt ad essentiam; unde prima passio perfectior est secundâ, & secunda, quàm tertia. Cum ergo intellectus essentiam hominis immediatè consequatur, & voluntas dimanet ab anima, mediante intellectu, intellectus perfectior est voluntate, & intellectio volitione; licet volitio notitiam intellectus necessariò præsupponat. Unde

Ad ultimam instantiam, nego Antecedens. Ad cuius primam probationem dico, quod licet voluntas movèat intellectum quoad exercitium in genere causæ efficientis, movetur tamen ab illo quoad specificationem ex parte objecti, & in genere causæ finalis, qui modus agendi & movendi perfectior est, ut infra patebit.

Ad secundam probationem similiter dico, quod licet libertas formalis solum sit in voluntate, radicalis tamen est in intellectu: unde sicut intellectus dependet à voluntate, & illi subordinatur in libertate formali, ita & voluntas intellectui subordinatur, & ab ipso ut à prima totius libertatis radice dependet.

Addo quod, modus agendi liberè non est perfectior simpliciter modo agendi naturali, licet sit perfectior in genere moris: nam perfectior est modus agendi, quò Deus agit ad intra, producendo personam Filij & Spiritus Sancti, modò agendi, quò agit ad extra, producendo creaturas; & tamen iste est liber, ille verò naturalis.

Ad tertiam probationem ejusdem Antecedentis respondeo, quod licet daretur, bonum physicè & in esse entis esse perfectius verò; metaphysicè tamen & in ratione objecti, verum præstantius & nobilius est, utpote abstractius abstractione formali, ut docetur in Metaphysica: unde cum nobilitas potentia vel scientia ex perfectione & nobilitate objecti formaliter sumpti petatur, sequitur quod intellectus præster voluntati, ut docet D. Thomas 1. p. qu. 82. art. 3.

Addo quod, licet verum non includat existentiam ut exercitam, sed ab illa abstrahat; & idèd sit magis abstractum abstractione formali, quàm bonum, quod essentialiter illam continet, vel saltem respicit & connotat; illam tamen

includit ut est quædam essentia seu quidditas, & sub hac ratione existentia attingitur ab intellectu.

S. II.

*Alia argumenta solvuntur.*

153. **O**BIICIUNT insuper Adversarij: Amori beatifico convenit ratio affectionis ultimi finis: Ergo in eo, & non in visione beatifica, consistit beatitudo formalis. Consequentia patet ex supra dictis. Antecedens verò probatur primò ex D. Thoma qu. sequenti art. 3. ad 2. ubi ait: *Sicut ad voluntatem pertinent spes & amor... ita & comprehensio & delectatio.* Et infra qu. 11. art. 3. ad 3. asserit fruitionem, quæ est actus voluntatis, esse ultimum finem, non ut rem quæ ultimò quæritur, sed sicut adaptionem ultimi finis; quod etiam repetit qu. 34. art. 4. in fine corporis: Ergo licet amor sit actus voluntatis, poterit tamen ei competere ratio affectionis.

154. **S**ecundò probatur Antecedens: Quòd amor supponat præsentiam objecti, non tollit quòd sit affectio: Ergo cum hac sola ratione à nobis excludatur à conceptu affectionis, fateri tenemur quòd sit affectio. Probatur Antecedens: nam visio beatifica supponit Deum intellectui beati præsentem per speciem impressam, seu per essentiam divinam gerentem vicem speciei, & tamen est affectio illius: Ergo quòd amor supponat præsentiam objecti beatifici, factam per Dei visionem, non tollit ab eo rationem affectionis.

155. **T**ertiò probatur principale Antecedens: Visio beata neque est similitudo objecti, nec productio similitudinis illius, ut in tractatu de visione beata fusè ostendimus; & consequenter Deum non præsentat intellectui beati, nec illum ad intellectum trahit, & tamen est verè affectio: Ergo quamvis Deum amor non præsentet, nec ad se trahat, sed ad ipsum feratur, esse tamen potest illius affectio.

156. **Q**uartò, Ideo intellectus assequitur objectum, quia intelligens fit unum cum objecto intellecto: At etiam amans fit unum per amorem cum objecto dilecto: Ergo etiam voluntas suum objectum assequitur.

157. **Q**uintò, Eiusdem mobilis est consequi finem vel centrum, cuius est tendere in illum: Sed homo per charitatem tendit in Deum, & meretur beatitudinem: Ergo etiam per actum amoris illam consequitur.

158. **D**enique probatur idem Antecedens: Beatitudo formalis est consecutio Dei, ut formaliter est summum bonum, & finis ultimus creaturæ rationalis: Sed intellectus non potest consequi Deum sub ratione summi boni & ultimi finis: Ergo in actu intellectus formalis beatitudo nequit consistere. Major patet, Minor probatur; quia intellectus non tendit in objectum sub ratione boni, sed tantum sub ratione veri.

159. **H**uic argumento responderi possit distinguendo Antecedens: Amori beatifico convenit ratio affectionis, primariæ, nego Antecedens: secundariæ, transeat Antecedens, & negatur Consequentia. Esto enim admitteremus in actu voluntatis salvari rationem affectionis, possit nihilominus defendi in solo actu intellectus consistere adæquatè essentiam beatitudinis: quia ille solus est prima affectio ultimi finis, omnes beati perfectiones radicaliter continens;

Tom. III.

**A** illa autem operatio constituit essentialiter beatitudinem, quæ primò Deum assequitur, & radicaliter seu causaliter continet aliarum potentialium perfectiones: Cum ergo actus voluntatis (esto admittamus eum posse fortiri rationem affectionis, saltem secundariæ) actum intellectus radicaliter non contineat, nec obtinere possit rationem primariæ affectionis ultimi finis; non potest etiam constituere essentialiter formalem beatitudinem. Cæterum cum verè ita sit, quod ratio affectionis actui voluntatis nullatenus competat.

**R**espondeo secundò, negando Antecedens. 160. Ad cuius primam probationem, ex auctoritate D. Thomæ desumptam, dicatur comprehensionem pertinere ad voluntatem, non elicitive, sed objective, in quantum summum bonum, comprehensum per intellectum, est objectum voluntatis, & ultimus finis, in quo voluntas quiescit. Unde ibidem in responsione ad 3. ait S. Doctor: *Comprehensio non est aliqua operatio præter visionem, sed quadam habiudo ad finem iam habitum.* De quo nos infra, cum agemus de dotibus animæ beatæ.

**A**d aliud testimonium dicendum est, fruitionem esse adaptionem ultimi finis, non formaliter, sed consecutive, & objective: quia consequitur ad beatificam visionem, quæ adeptio est, illamque habet pro objecto. Vel secundò dicatur esse adaptionem, non formaliter, sed complete: quia complet & perficit visionem beatificam, ad quam consequitur ut illius proprietatis; & in iisdem sensibus eadem fruitio est ultimus finis ut quo.

**A**d secundam probationem, nego Antecedens. 161. Et ad hujus probationem distinguo Majorem: supponit Deum præsentem in actu primo, concedo Majorem: in actu secundo, nego Majorem; & concessa Minori, nego Consequentiam: nam actus amoris supponit objectum præsens non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, & ideo affectio non est.

**A**d tertiam probationem dicatur, quòd licet 162. visio beatifica nec sit similitudo Dei, nec similitudinem producat, præsentat tamen Deum intellectui beati, non ut medium in quo, nec per quod, sed ut medium quo; quatenus ante illam objectum beatificum non erat præsens intellectui beati in ratione representati in actu secundo, & actu terminantis sui contemplationem, posita tamen intellectio, actu ab intellectu percipitur, & actu se illi representat.

**A**d quartam distinguo Majorem: quia fit unum cum objecto intellecto, per assimilationem, concedo Majorem: quia utcumque fit unum, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: amans fit unum cum objecto dilecto, ratione ponderis & inclinationis in illud, concedo Minorem: ratione similitudinis & identitatis cum illo, nego Minorem, & Consequentiam.

**A**d quintam respondetur, quòd licet 164. ejusdem sit mobilis consequi centrum vel finem, cuius est tendere in illum, non tamen illum debet consequi & possidere per eandem potentiam aut virtutem, per quam in illum tendit: nam, ut supra dicebamus, lapis per gravitatem, quæ est inclinatio ipsius, tendit ad centrum, per quantitatem verò & per ubi ipsi unitur: avarus per appetitum movetur ad quærendas pecunias, & manu percipit & arripit illas: miles etiam

H ij